

ipso facto est suspectus à celebrandis solemnibus Mis-  
sionibus, c. Accusatum. 4. Et quoties. 5. h. t. (in-  
telligit, si jam publice sit infamatus de hoc crimine.)  
aliis non, ut bene advertit Glossa in cit. c. Accusa-  
tum. h. t. §. Solemnia.  
351 Resp. III. Sicut quilibet aliis de Jure inhabilis,  
v. g. Criminosus potest esse Accusator; ita etiam  
Testis esse valet contra Simoniam, dummodo non  
sit capitalis inimicus Rei, aut conspirator in eum,  
ut satis clarè habetur, c. Licet Heli. 31. c. Per  
tuas. 32. h. t. & ibi DD. communiter. Et hoc præ-  
cipue verum est, si Testis criminiosus ex Crimine  
suo jam emendatus est, cit. c. Per tuas. 32. h. t.  
ibi: Presertim cum Testes de crimine fuerint emendati:  
nisi sit perjurus, hic enim etiam emendatus non am-  
plius admittitur ad testificandum, ut post Glossam  
in c. Per tuas. h. t. §. Furti. bene docet Abbas n.  
10. Firhing. h. t. n. 150. textu satis claro cau. Parvuli.  
14. cau. 22. q. 5. & c. Testimonium, de Testib. Ratio  
est, quia, qui semel perjurus est, merito time-  
tur rursus perjurare, arg. l. si cui §. 3. ff. de  
Accusate.

352 Notat tamen bene Abbas in c. Per tuas. h. t. n. 4.  
Pirhing. h. t. n. 150. quod etiam Criminosi admittan-  
tur pro testimonio ferendo contra Simoniacos, ta-  
men sine admittentibus, vel iudicibus aliis plenè non  
probent, arg. cit. c. Per tuas. h. t. ibi: aliis admi-  
nentibus suffragantibus. Plura de testimonio Testium  
aliis inhabilibus contra Simoniacos lege in cit. c. Li-  
cet Heli. 31. & c. Per tuas. 32. h. t.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub  
annuo censu aliis relinquunt.

SUMMARIUM.

- 1 Prælati Ecclesie nequeunt alteri committere suam  
jurisdictionem pro annuo censu.
- 2 Solvitur Obiectio: Et nun seq.
- 4 Redditus Ecclesie sub annuo censu bene possunt  
elocari.
- 5 Pene contravenientium Rubricæ Tituli.

Vllo de Simonia in genere, succedunt in hoc,  
& sequenti Titulo quedam Simonie in specie.  
Et quidem per Rubricam hujus Tituli, totumque  
Titulum reprobat certam Simoniam speciem, quæ  
olim in quibusdam locis vigeat, dum Prælati vi-  
ces suas, aut Episcopi suam jurisdictionem Episco-  
palem aliis sub annuo censu seu pretio exercendam  
relinquebant, uti conquerendo refert Papa c. 1. 2.  
Et 3. h. t. consuetudinemque enormem vocat, ac  
reprobat: idque merito, quia jurisdictio Episcopa-  
lis, & quocumque aliud Ecclesiasticum Officium  
est quid spirituale, & propterea pretio conferri ne-  
quit absque labe Simonie, prout amplius diximus  
Tit. præced. a. n. 48.

2 Nec obstat, quod Episcopus possit, imò & de-  
beat suo Vicario Generali, seu Officiali constituere  
salarium ex Camera Episcopali. Resp. enim, aliud  
esse jurisdictionem suam sub annuo censu sibi præ-  
stando, aliis relinquere, aliud Vicario Generali  
constituere salarium; quia Vicarius recipit sala-  
rium per modum stipendii arg. c. Charitatem 12.  
q. 1. ibi: Justum namque est, ut illi consequantur  
stipendium, qui pro tempore suum commodare repe-  
riuntur obsequium: imò pro laboribus temporali-  
bus Officio per accidens annexis, etiam per mo-  
dum mercedis, arg. c. Quicunque 12. q. 2. ibi:

Dignus est operarius mercede sua, cum Concor-  
dantiis.  
Secus fieret, si Episcopus sub annuo censu suam  
jurisdictionem alteri relinqueret: Tum quia eam  
ex debito sui Officii tenetur gratis administrare:  
Tum quia aliquam suam jurisdictionem exponeret  
venalem. Adde cum Fagnano in c. Quoniam. h. t.  
n. 8. Quamvis, ut Officium Ecclesiasticum com-  
mittatur sub datione pecunie, sit illicitum tam ex  
parte dantis, quam recipientis: nihilominus com-  
missio jam Officio licitum est, per modum salarii  
dare pecuniam ei, cui committitur, idque per Jura  
allegata nun. præced.

Verum dictis non obstantibus licitum & neuti-  
quam Simoniacum est, possessiones & redditus Ec-  
clesie sub annuo censu alioqui elocare; cum ea res  
sit merè temporalis. Ita habetur cap. ult. h. t. ubi  
nomine Ecclesie ad annum censum date intelli-  
guntur possessiones seu fructus Ecclesie, ut expli-  
cat Glossa ibid. §. Præfatam Ecclesiam, alioquin  
enim Decretalis illa contrariaretur Rubricæ Tituli,  
ac prioribus Capitulis.

Cæterum pœna Contravenientium huic Rubricæ  
& Titulo sunt I. Quod tam dans, quam reci-  
piens excludantur ab Ecclesia, in cuius contume-  
liam res data, & accepta est, c. Considera, 38. de  
Simoniam. II. Qui dat pecuniam pro Officio, aut  
jurisdictione spirituali, tale officium perdit, male  
autem ita conferens amittit conferendi illud pote-  
statem, c. 1. h. t. III. Dans pecuniam remouetur  
à Clerico; Episcopus verò pro illo confertens spiri-  
tualem jurisdictionem suspenditur ad tempus pro  
qualitate delicti, c. 2. h. t. & ibi Glossa §. Percol-  
latur.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro  
licentia docendi.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Magister quid, Conuenit cum Doctore.
- 3 In aliquibus locis supremam lauream in Theologia  
consecuti, non vocantur Doctores, sed Magistri  
Theologie: Alii aliter se res habet.
- 4 Licentiatum quid?
- 5 Baccalarij quid?
- 6 Plura sunt Privilegia Magistrorum, & Doctorum:  
veluti I. Quid sint in Dignitate constituti.
- 7 II. Quod equiparentur Nobilibus.
- 8 III. Quod in conferendis Officiis & Beneficiis eorum  
preferri debeant.
- 9 IV. Quod sint exempti à communibus oneribus.
- 10 V. Quod rei criminis mitti possunt.
- 11 VI. Doctores, & Magistri actu docentes præ-  
ter allegata, adhuc specialia habent privi-  
legia.
- 12 In favorabilibus nominis Doctorum veniunt  
etiam Licentiatum, & gaudent illorum privi-  
legiis.
- 13 Excepta executione Literarum Apostolicarum.
- 14 Actuales Professores Theologie, vel Philosophie  
percipiunt fructus grossos Beneficiorum suorum,  
etiam quando causæ docendi absunt.
- 15 Si docent in studio Generali, seu Universitate.
- 16 Distributiones tamen quotidianas nominis in certis  
casibus percipiunt.
- 17 Studentes quoque Theologie, vel Juri Canonico  
in absentia percipiunt fructus Beneficiorum.

- 18 Exigere aliquid pro licentia docendi est illicitum.
- 19 Et improprè, non tamen stricte Simoniacum.
- 20 Solvitur Obiectio.
- 21 Pro Actuali Lectione, seu Professurâ profana  
scientia aliquid per modum pretii accipere, non  
est Simonia; Et nun. seq.
- 23 Pro actuali lectione S. Scripturæ, seu Theologie  
potest aliquid accipi per modum stipendii.
- 24 Et pro aliquibus actibus etiam per modum  
pretii: Et nun. seq.
- 26 In Ecclesiis Metropolitani, Cathedralibus, &  
Collegiatis erigenda sunt Scholæ pro erudienda  
Juventute.
- 27 Professoribus Theologie assignanda est integra  
Præbenda Canonica, & Grammaticæ Professori  
verò debetur stipendium. Et nun. præced.
- 28 Seminarium in quavis Diocesi erigi debet, &  
quomodo?

Duas partes continet Rubrica hujus Tituli.  
Prima est de Magistris; & occasione horum  
Secunda est, ne pro licentia docendi exigatur quid  
temporale; quod, quia speciem Simonie præ se  
fert recto ordine statim hic ponitur post Titulos  
de Simonia in genere, & præcedentem de qua-  
dam Simonia specie. Circa primam Rubricæ par-  
tem.

1 Quæritur I. Quid hic intelligatur nomine Ma-  
gistris? Resp. Quamvis generaliter loquendo nomi-  
ne Magistris venit quisvis cuiuscunque Disciplina  
præceptor, l. Cui præcipitur. 57. ff. de V. S. tamen  
ad propositum nomine Magistris venit omnis, &  
solum ille, qui in scientia seu facultate Theologica,  
vel Juridica, vel Medica, vel Philosophicâ supre-  
mum gradum, & insignia legitime sit consecutus.  
In quo sensu à Doctoribus non distinguuntur, ut  
bene observat Loefius in l. Quiddam ff. de V. O.  
& notat Glossa in Clem. 2. h. t. §. Doctoratus. per  
textum ibidem: Doctoratus & Magisterii. Quod  
autem quis ex aliqua dicta rura facultatum supre-  
mum gradum legitime consecutus, sit & vocetur  
Magister vel Doctor, patet tum ex cit. Clem. 2. h. t.  
ibi: Qui in quavis scientia ad Doctoratus, vel Ma-  
gisterii assumuntur honorem: Tum ex aliis Juris  
textibus, in quibus tam Theologie, quam Juris,  
& Medicinæ, ac liberalium Artium Magistros, &  
Doctores legere est.

Veram quævis de Jure res ita se habeat, con-  
suetudo tamen; & particulari Statuta locorum id  
fecerunt, quod alicubi, ut in Universitate Sorbo-  
nensi, Lovaniensi, Salamanticensi, ipsaque Curia  
Romanâ supremam lauream consecuti in Theolo-  
gia, non Doctores, sed Magistri in Theologia,  
supremam verò lauream habentes in Jure vel Me-  
dicina, Doctores Juris Civilis vel SS. Canonum,  
vel utriusque Juris, & Doctores Medicinæ vocen-  
tur, uti jam dictum Lib. IV. in Appendice §. 9.  
n. 441. Alicubi verò, præsertim in Universitatibus  
superioris Germaniæ Ingolstadtensi v. g. Salzbur-  
genfi &c. omnes in præfatis facultatibus, etiam  
Theologicâ supremum gradum assenti, ordinariè  
dicuntur Doctores Juris, vel Medicinæ, vel SS.  
Theologie &c. Illi autem, qui Philosophicæ curri-  
culo consecuti supremum in ea gradum adepti sunt,  
Magistri Philosophicæ vocentur.

Magistris, & Doctoribus affines sunt Licentiatum;  
quorum nomine veniunt illi, qui supremam in ali-  
qua Scientia sive Theologica, sive Juridica, si-  
ve Medica gradum Doctoratus, vel Magisterii  
insignia publicè capessendi, quando volunt, li-  
centiam, seu facultatem habent, eò quod pro ta-  
libus post prævium examen non tantum digni

judicati, sed ut Licentiatum rite & solemniter creati  
sint.

Licentiatum paulò inferiores sunt Baccalarij, 5  
sive, ut alibi vocantur, Baccalarii, vel Baralla-  
rii, quorum appellatione illi intelliguntur, qui in  
Scientia vel facultate aliqua sui profectus primum  
testimonium, primumque gradum sunt adepti:  
quod pro locorum diversitate variè contingit. In  
celeberrima Universitate Ingolstadtensi Baccalarij  
creantur ad finem primi, vel initium secundæ anni  
Philosophicæ. Ex Theologia verò ad finem 2. aut  
initium tertii anni.

Quæritur II. An, & qualia privilegia habeant 6  
Magistri, Doctores & Licentiatum? Resp. Magi-  
stros, & Doctores tam Theologie, quam Juris si-  
ve-Civilis, sive SS. Canonum, & Medicinæ plura  
habere privilegia; quorum aliqua brevissimè hic  
adducimus communia omnibus Magistris, & Doc-  
toribus. Primum est, quod à plebeia conditione  
exempti, in dignitate censentur constituti, arg. c.  
Quanto. 3. de Clero. 2. eod.

Secundum est, quod Nobilibus annumerentur 7  
veramque Nobilitatem consequuntur arg. l. 2. §.  
ult. in fine. & l. 4. §. 1. in fine ff. de Excusat. Tut.  
Quapropter etiam gaudent Nobilibus prærogativis,  
arg. c. De multa. 28. de Præbenda.

Tertium est, quod pro Doctoribus, & Magi-  
stris militet præsumptio integritatis ac innocentie,  
velo ut propter veteris paribus, illi in assequen-  
dis Dignitatibus & Beneficiis Ecclesiasticis præferri  
debeant, cit. c. de multa. de Præbend. c. Cum in  
causis. de Elect. juncto Concilio Tridentino Sess. 24.  
de Reformat. cap. 12.

Quartum privilegium est, quod exempti sint à 9  
muneribus tam realibus, quam personalibus, textu  
expresso l. Medicor. 6. §. l. c. de Professorib.  
& Medicis.

Quintum est, quod criminum rei minus pœnien-  
di sint, quam plebei, adeoque criminis etiam Ca-  
pitalis suspecti, potius domi aut alio certo loco ar-  
resto, quam publico carceri custodiri debeant, nec  
Torturæ præterquam in criminibus exceptis subji-  
cendi, nec pœnâ Tricemium, fustibus, laqueo,  
vel alio ignominiosiori pœnæ genere, sed ultimam  
supplicium meriti, gladio puniri debeant, arg. l.  
Custodiam ff. de Crim. Reorum. l. A. C. ad Leg. Jul.  
Majest. l. Moris. q. 5. ff. de Pœnis, &c.

Præter enumerata cunctis Magistris, & Docto-  
ribus communia privilegia, Magistri & Doctores,  
Professores, id est, qui actu docent in aliqua Aca-  
demia habent adhuc specialia privilegia, inter  
quæ principale est, quod, dum Theologiam, vel  
Jus Canonicum docent, etiam absentes percipiunt  
fructus Beneficiorum, juxta dicenda infra n. 14.

Resp. II. In favorabilibus nomine Doctorum, 12  
& Magistrorum veniunt etiam Licentiatum, ita, ut  
etiam illorum privilegiis supra enumeratis fruantur.  
Alciatus in l. Cui præcipitur. ff. de V. S. Lesander de  
Privileg. Doct. p. 4. num. 11. & alii. Ratio est;  
quia privilegia Doctoribus & Magistris conceduntur  
principaliter ob excellentem, & legitime ap-  
probatam eorum doctrinam bono communi servien-  
tem; & non propter illam solemnitatem, & cere-  
monias, quibus Doctores inaugurantur; conse-  
quenter, cum Licentiatum illam etiam habeant, et si  
illa careant, eorundem privilegiorum merito par-  
ticipes reputandi sunt; præsertim, cum licentiam  
& facultatem proximam habeant, statim, si vo-  
lunt, supremam Doctoratus lauream accipiendi,  
illoque digni jam sint declarati; ac per consequens  
eis serviat illud Juris: Proximi accingendus habe-  
tur pro accincto, l. penult. ff. de Testam. Militi.  
Hinc Concilium Trident. in assequendis Dignitatibus,  
N 4 ac

13 ac Beneficium, Licentias equiparat Doctoribus, *Sess. 22. de Reformat. cap. 2. & Sess. 24. de Reformat. cap. 12.* & alibi; ac optima Legum Interpres consuetudo id habet, quod si alicubi ad Collegium, Ordinem, vel Dignitatem aliquam vi statuti requiritur Doctor, Licentiatum quoque admittatur.

13 Limitatur tamen Conclusio in Executione litterarum Apostolicarum, quas Doctori, vel Magistro inscriptas aperire, & exequi non potest Licentiatum per dicta *lib. 4. in Appendice §. 9. num. 442. & 443.*

14 Queritur III. Quale privilegium ratione perceptionis fructuum Beneficii specialiter competat Doctoribus, & Magistris, ac docentibus Theologiam, vel Jus Canonicum, seu Professoribus Theologiae, ac Juris Canonici, nec non Studentibus hujusmodi Facultatibus? Resp. I. Qui actu docent Theologiam, vel Jus Canonicum in aliquo studio Generali, vel Universitate, percipiunt fructus sui, quod habent, Beneficii Ecclesiastici, etiam tempore, quo causa docendi absunt; etiam si per plures annos absint. De Professoribus Theologiae res certa est ob clarum Juris dispositionem, *c. Super specula §. h. t. §. Ducentes*, confirmatam a Concilio Tridentino *Sess. 5. de Reformat. cap. 1.* De Professoribus autem Juris Canonici docent Sylvester *yr. Residencia. Felinus in c. §. h. t. num. 2. & ibidem Abbas num. 6. & Fagnanus nu. 4.* dicens, ita saepius declaratum fuisse a S. Congregatione. Ratio hujus privilegii est; quia Beneficium quicumque, aequè, imò magis profant Ecclesie cultumque Divinum augent, si docendo absint, quam si in Beneficio resident.

15 Dicitur autem notanter in studio Generali, seu Universitate aliqua. Professoribus siquidem in tali studio non docentibus, dictum privilegium minime competit, prout declaravit S. Congregatio teste Garzia de Benefic. p. 3. cap. 2. num. 55. ubi num. 60. addit, memorato privilegio tamen gaudere Professores in Universitate docentes, etiam si ibidem nullam habeant stipendium, nec sint conducti mercede, sed voluntarie doceant, dummodò id faciunt cum facultate seu licentia Universitatis sive Collegii DD.

16 Resp. II. Professores Theologiae, sive Juris Canonici, quamvis causa docendi absentes percipiunt fructus suos suorum Beneficiorum, distributiones tamen quotidianas non percipiunt, Glossa communiter recepta in *c. fin. h. t. y. Integri*, textu claro *c. Licet. 22. de Præbend. ibi: Nolimus tamen, ut quotidianas distributiones, que tantum residentibus in Ecclesiis, & his, qui intersunt Horis Canonicis ei (Magistro videlicet Theologiam docenti) tribui facias, nisi forsitan redditus omnes in distributionibus quotidianis consisterent*; tali enim in casu saltem duas partes reddituum perciperent, tertia parte accrescente presentibus, uti ex Declaratione Cardinalium bene refert Garzia de Benefic. p. 3. cap. 2. num. 351. Fagnanus in *c. ult. h. t. num. 2. & 3.* vel nisi alicubi contrariè vigeret consuetudo, Glossa loc. cit. Moneta p. 2. de Distribut. cap. 10. n. 28. vel denique nisi ad id concurrat, quod diximus *Lib. II. Tit. IV. de Clericis non resident. n. 215.*

17 Resp. III. Non tantum actualiter docentes Theologiam, vel Jus Canonicum, sed etiam studentes eidem, in absentia percipiunt fructus suorum Beneficiorum, saltem per quinquennium, Conclusionem hanc amplius declaratam, & probatam habes *Lib. III. Tit. IV. de Clericis non resident. §. V. ferè per totum, ubi vide.*

18 Circa secundam partem hujus Rubricæ queritur IV. Utrum illicitum, simulque Simoniacum sit, exigere aliquid pro licentia docendi? Resp. I. Gra-

liter prohibuit, consequenter illicitum est, exigere aliquid pro licentia docendi, etiam si contrarium vigeat consuetudo. Unanimis & certa, claris Juribus *c. 1. 2. & 3. h. t.* Transgressores tenentur ad restitutionem perceptorum appellatione postposita, *c. 2. h. t. & puniti jubentur privatione Officiorum ac Beneficiorum, c. 1. & c. Quarta. 3. h. t. ubi ratio Conclusionis redditur cit. c. 2. h. t. ex Matth. cap. 10. Gratis accepistis, gratis date.*

Resp. II. Quamvis illicitum sit, & improprie seu largè loquendo Simoniacum dici possit, tamen strictè, & proprie loquendo non esse Simoniacum, pro licentia docendi aliquid exigere. Fagnanus in *c. 1. h. t. nu. 12. Gopalez in c. Quia nonnullis. 4. h. t. n. 6. in fine, Suarez de Simonia. cap. 18. num. 15. Engel h. t. nu. 8. post Glossam in c. 1. h. t. §. Considerandis*, ubi ait: Quasi Simoniacum reputatur hoc. Nam dictio quasi regulariter est nota improprietas. Ratio Conclusionis est, quia Professura seu traditio doctrinae nec in se est quid spirituale, sed officium merè temporale, nec dirigitur ad actus, qui per se spirituales seu supernaturales sunt; quamvis se habeant ad instar spiritualium, eò quod entitative sint spirituales, utpote subiectati in intellectu tantam potentia spirituali.

Nec obstat, quod scientia sit donum Dei, *arg. c. 20. Revertimini. §. Si quis doctus. 16. q. 1.* adeoque tantam res spiritualis non videatur posse vendi scientia, aut etiam licentia docendi absque Simonia. Respondeo enim scientiam esse quidem donum Dei, non tamen semper esse donum supernaturale: sicut etiam sanitas, vires, & artes sunt à Spiritu Sancto, & donum Dei, non tamen supernaturale.

Queritur V. An sit Simoniacum, vel saltem illicitum, exigere vel accipere aliquid pro ipsa lectione SS. Scripturæ, Professurâ Theologiae, Philosophiæ, & aliarum Scientiarum? Resp. I. Certum esse, quod pro opera & labore tradendi scientias naturales, v. g. Philosophiam, Grammaticam, Medicinam licitum sit, & nullatenus Simoniacum, ex genere temporale etiam per modum pretii: quia hujusmodi doctrina non est res supernaturalis, & consequenter neque labor in ea procuranda impensus. Quinimò potest estimari pretium non solum ex labore, qui ponitur in studendo & erudiendo alios, sed etiam ex sublimitate rei ac veritatis, ad quam inducit: nam quamvis sic veritas intellectus videatur vendi, saltem indirectè (proprie enim venditur labor Magistri, ut utilis ad gignendam in intellectu discipuli veritatem) ea tamen veritas est purè naturalis; neque à Spiritu S. per donum supernaturale, sed naturale tantum, prout etiam sanitas, vires, artes sunt à Deo.

Nec obstat, quod dicitur Proverb. 23. Noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam. & L. 1. §. §. ff. de Extravord. Cognit. Est res sanctissima civilis sapientia, sed que pretio numerario non sit estimanda, nec dehonestanda. Resp. enim, textum Scripturæ loqui de scientia infusa, uti interpretatur S. Thomas: per textum autem Juris Civilis tantum commendari scientiam, ne vilipendatur.

Resp. II. Certum etiam est, pro lectione seu traditione S. Scripturæ, Theologiae, ac hujusmodi, non tantum dari & accipi, sed etiam exigere posse justum stipendium seu salarium. Patet hoc ex Tit. præced. Utrum autem per modum pretii quid exigi possit, Quæstio manet, pro qua.

Resp. III. Pro quibusdam actibus Theologiae pretium accipi potest, pro quibusdam non. Ita Lessius *lib. 2. de Just. & Jur. cap. 35. dubit. 13.* hoc modo facile concordans Doctores, ceteroquin in hac materia non adeò convenientes. Ratio est: quia

Theologia potest considerari secundum quatuor functiones. Primò ut tradens doctrinam Evangelicam. Secundo, ut dat responsa ad pacandas conscientias. Tertio, ut ex sacris Doctoribus interpretatur Divina scripturas. Quarto, ut ex principis Fidei deducit conclusiones, sive necessariò, sive probabiliter, prout fit in Theologia speculativa, quam Scholasticam appellant.

Pro 1. igitur & 2. actu pretium exigere, est Simoniacum, ut fatentur passim Doctores; quia hi actus immediatè referuntur ad Fidem, Spem, & Charitatem, alioque actus supernaturales, ut proin etiam Concionatores, Catechizæ, Confessarii pro doctrina, quam impertiantur, nil exigere valeant per modum pretii, bene verò per modum stipendii. Pro 3. & 4. actu licitum esse, accipere pretium, tenet Lessius *loc. cit.* & communis Doctorum apud Laymannum *lib. 4. tract. 10. cap. ult. num. 30.* Probatur hoc ex eo, quia in actu docendi Theologiam, vel explicandis Scripturas, non habetur ratio assensus supernaturalis, sed solum suppositis Fidei revelatæ propositionibus fit instructio, mediante qua possit Discipulus ex propositionibus revelatis discurre, & inferre, non revelatas: unde sic eam spectando est scientia merè naturalis acquisita, ac potest dari in Hæreticis.

Queritur VI. Quid adhuc disponatur in hoc Titulo? Resp. Inter alia præcipi, ut in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis exigantur Scholæ pro erudienda Juventute tam in inferioribus, quam Theologia, uti patet ex *c. 1. & c. Quia nonnulli. 4. h. t.* ubi etiam mandatur, ut idonei ad hunc finem deputentur Magistri, seu Professores, eisque assignetur debitum salarium, seu stipendium, ita, ut cuius etiam Grammaticæ Magistro detur una integra Præbenda, seu id totum, quod redditur, seu proventus unius Canonicius officii.

Totum hoc confirmatur à Concilio Tridentino *Sess. 5. de Reformat. cap. 1.* hac tamen cum distinctione, & novâ dispositione, quòd non tantum in Metropolitana (ubi statutum erat. Jure communi. Quia nonnulli 4. h. t.) sed etiam in quavis Ecclesia Cathedrali constituantur unus Magister, seu Professor Theologiae, eique integra Præbenda, seu redditus Canonicius modo ibidem specificato assignentur. Magistro Grammaticæ verò, vel fructus alterius simplicis Beneficii, vel de mensa Episcopali, aut Capitulari condigna merces seu salarium constituantur.

Huc pertinet etiam dispositio Concilii Tridentini *Sess. 23. de Reformat. cap. 18.* de erigendo in quavis Diocesi Seminario, de quo ipsam Tridentini dispositionem intellectu facile, & prolixam lege *loc. cit.* Vide etiam de hoc Fagnanum in *c. 6. Quia nonnullis. 4. h. t.*

- 5 Judæi antiquas suas Synagogas restaurare possunt, non autem novas erigere.
- 6 Judæi ubi de facto non existunt, recipiendi non sunt: & quare?
- 7 Judæi semel recepti, amplius expelli non possunt.
- 8 Nisi iuxta illas expellendi adsit causa.
- 9 Judæi certis legibus, & panis infringi possunt, & debent, ut avertatur omne periculum & damnus tam Religionis, quam Reipublicæ.
- 10 Christiani non possunt cum Judæis habitare in eadem domo, nec uti eorum Medico aut Medicinâ.
- 11 Christianus Judæo pro mercede servare non potest, nec in domo.
- 12 Nec extra domum illius.
- 13 Solvitur instantia.
- 14 Christiani possunt in sua domo habere Judæum pro servo.
- 15 Nec possunt aliquos Judæos invitare ad convivia, nec possunt invitati in conviviis Judæorum convivere.
- 16 Christiani non possunt Judæis committere Officia publica.
- 17 Nec aliquid eis relinquere in Testamento.
- 18 Licitum tamen est Christianis emendo, & vendendo contractus inire cum Judæis.
- 19 Ac etiam Christianis causâ intrare Synagogas eorum, & ritus eorum observare: cum cautela tamen.
- 20 Judæi semel legitime recepti possunt sua Sabbata celebrare.
- 21 Gaudetque Jure Civium aliorum.
- 22 Conversis nil mali irrogare possunt alii Judæi.
- 23 Litigantes cum Christianis, coram Judice Christiano comparare debent.
- 24 Delinquentes contra Clericum Judæus qualiter puniendus?
- 25 Judæi debent portare habitum à Christianis distinctivum.
- 26 Saraceni quoniam, & unde dicti?
- 27 Etiam Paganis, sed minus proprie veniunt eorum nomine.
- 28 Saraceni non possunt in quavis Ecclesia Templâ permittuntur in locis Christianis.
- 29 Quare horum, non autem Judæorum Temple prohibeantur? Judæi pejores sunt Paganis. Ibid.
- 30 Sub Excommunicatione & aliis gravissimis penis prohibetur est Christianis, ne aliquid armorum genus ad Saracenos, aliosve Infideles deferant.
- 31 Etiam tempore pacis.
- 32 Quo, non item belli tempore, aliarum rerum commercium cum illis licitum est.
- 33 Qualiter in Bulla Censæ prohibentur, ne aliquid armorum genus deferatur ad Infideles, & Hæreticos.
- 34 Ratio prohibitionis.
- 35 Etiam qui alind auxilium vel consilium Infidelibus contra Catholicos præbent, excommunicati sunt.
- 36 An liceat inire fœdus belli cum Infidelibus, aut Hæreticis? Responsum.
- 37 Quòd Judæi ad Fidem & Baptismum directè cogi valeant, videntur suadere rationes.
- 38 Jura.
- 39 Et exempla.
- 40 Contrarium est verius.
- 41 Solvuntur rationes oppositæ.
- 42 Ac Jura.
- 43 Indirectè tamen ad Fidem cogi possunt; Et quomodo?
- 44 Judæi & Saraceni, semel recepti, & de habitatione

TITULUS VI.

De Judæis, & Saracenis, & eorum Servis.

SUMMARIUM.

- 1 Tres sunt species Infidelitatis, Paganismus videlicet, Judaismus, & Hæresis.
- 2 Judaismus, & Judæi quid? ac unde sic dicti?
- 3 Quòd Judæi à Principibus Christianis nec recipi, nec tolerari debeant in locis Christianis, plura militant argumenta.
- 4 Quibus non obstantibus licet tolerari possunt, & ipsi, & ritus, ac Synagoga eorum: & quare?

- 311. sione promissa aut pacto affecturati ejici ob infidelitatem non possunt.
- 45. Bene verò ex alia causa.
- 46. Qui semel Fidem susceperint Infideles, ad Fidem cogi possunt.
- 47. Ob solam infidelitatem bellum Infidelibus indici nequit.
- 48. Solvitur instantia.
- 49. Secus si juxta alia causa concurrat.
- 50. Aut si Infideles denegant licentiam prædicandi Evangelium.
- 51. Juxta communem liberi Infidelium invititis parentibus baptizari licite non possunt.
- 52. Nisi in certis casibus.
- 53. Valde probabile est, eos semper baptizari licite posse invititis parentibus, præsertim si adhibeatur debita cautela, usque ad n. 57.
- 57. Solvuntur instantia. Et num. 57.

**V**iso de Simoniacis, qui Spiritum S. vendendo per Simoniam blasphemant, pergit Compiler ad eos, qui in Deum, ejusque Unigenitum Filium JESUM Christum per Infidelitatem peccant. Tres autem sunt species Infidelitatis, ut post D. Thomam 2. 2. q. 12. art. 5. notant communiter Theologi. Paganismus videlicet, Judæismus, & Heresi. De hac ultima in sequenti, de duobus prioribus verò in præfenti Titulo erit questio.

**2.** Queritur itaque I. Quid sit Judæismus? & quid Judæi? Resp. Judæismus est infidelitas seu error illorum, qui legem duntaxat Moisaicam absque fide in Christum sectantur. Hinc Judæi sunt, qui legem Moisaicam, seu vetus Testamentum ad litteram superstitiosè adhuc observant absque Fide in Christum verum Messiam & Salvatorem nostrum; utpote quem nondum venisse, sed primum venturum credunt. Cæterum Judæi dicuntur à Tribu Juda, quæ inter cæteras nobilior erat, & bellicosior, & ex qua Reges assumebantur, ac Duces populi; sicut de Tribu Levi Levitæ, & Sacerdotes illorum.

**3.** Queritur II. An Principes Christiani in suis Territoriis licite recipiant & tolerant Judæos, ritulque, & Synagogas eorum? Ratio dubitandi, & negativam tenendi est; quòd cum jubeantur Tempa Paganorum claudi & dirui L. 1. *Et L. omnia, 5. C. de Paganis*, & SS. Patres laudent eorum everisionem, ac Simulacrorum demolitionem, imò etiam Hereticos jubeantur expelli, c. *Excommunicamus*, 13. de *Hæret.* multò magis de Judæis, & Synagogis eorum idem sentiendum videtur, eò, quòd impietas, usura, injustitia, & invidia Judæorum, eorumque abominandæ, & continuè blasphemie in Christum, ac Christianam Religionem majora causent damna & pericula tam Ecclesiæ, quam Reipublicæ. Porro pro sententia negativa offert Pignatell. *Tom. V. Consultat.* 14. à num. 1. argumenta plurima & talia, quæ efficaciter suadere videntur; adeò, ut propterea, & pluribus Regnis Christianis, Hispania, Belgio, Galliæ &c. eliminati sint. Quo non obstant.

**4.** Resp. I. Christiani Principes licite tolerant in suis Territoriis Judæos, ritulque & Synagogas eorum. Barbosa in c. *Sicut Judæi*, 9. h. 2. Pignatell. *cit. Tom. 5. Consult.* 14. à n. 70. plures alios citans, Engel h. 2. n. 2. cum communi aliorum, arg. c. *Sicut Judæi*, 9. *Et c. Etsi Judæos*, 13. h. 2. ibi: *Etsi Judæos quos propria culpa submisit perpetuo servituti, pietas Christiana receperit, & sustineat cohabitationem illorum, juxta l. Nullus 14. C. h. 1. & Novell. 146. cap. 1. Ratio est; quia ritus Judæici tanquam figura veritatem Evangelicam tanquam figuratum confirmant, & Judæi, dum progeniem, Legem, & traditiones suas*

à Moysè, & Prophetis constanter derivant, testimonium prohibent S. Scripturæ, ne ab Abbeis & Paganis tanquam novum figmentum explodatur. Ob quam causam fortasse Deus gentem Judæicam non penitus deleri, sed toto orbe spargi permisit, ut insinuat videtur S. Augustinus contra Faustum cap. 3. ibi: *Quid est aliud hodie gens ista, nisi quadam sermone hujusmodi Legem, & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum, quod illi nuntiant per litteram. Quæ ratio, quia non militat in Paganis, & Hæreticis, tam horum quam illorum receptio & tolerantia merito prohibetur.*

**Resp. II.** Quamvis Principes Christiani licite tolerant Judæos, ritulque & Ecclesias illorum simulque concedere valent, ut Synagogas ab antiquo receptas iterum restantur, tamen permittere non valent, ut novas erigant, vel aliores, aut ampliores efficiant, ita statuitur c. *Judæi*, 3. *Et c. Consultat.* 7. h. 2. ibi: *Judæos de novo construere Synagogas, ubi non habuerint, pati non debent. Verum si antique corruperint, vel ruinam minantur, ut eas readificent, potest æquanimiter tolerari, non autem ut eas exalcent, aut ampliores efficiant, ita clare statuitur cit. c. Judæi 3. *Et c. Consultat.* 7. h. 2. ibi: *Judæos de novo construere Synagogas, ubi non habuerint, pati non debent. Verum si antique corruperint, vel ruinam minantur, ut eas readificent, potest æquanimiter tolerari, non autem ut eas exalcent, aut ampliores efficiant, aut pretiosiores faciant, quam antea fuisse noscuntur. Ratio est; quia sicut modica Judæorum dispersio per totum orbem videtur servituti confirmatione veteris nostre Religionis, ita nimia eorum abundantia periculosa foret eidem Religioni, & damnosa Reipublicæ Christiane: hinc ne cum damno & periculo Ecclesiæ abundare incipient, merito prohibetur, ne Synagogas novas alicubi erigant, & solæ pro sine bono tolerantur antique.**

**Colligens**, quòd, cum abundantia Judæorum periculosa, & damnosa Religionis nostre existat, immanetque blasphemie, & injuriæ ab eis in Christum redundent, sanctè faciunt Principes Catholici, sibi que ac subditis suis, & comprimitis Honoris JESU Christi, ejusque Religionis plurimum consulant, si ibi, ubi Judæi nondum sunt, non recipiant, ne gentis hujus damnosa & periculosa abundantia ulterius serpat; præsertim cum finis, ob quem tolerantur Judæi, per jam passim exilientes sufficienter obtineatur. Terribilia, simulque verissima, & lectu dignissima sunt, quæ contra Judæos scribit Pignatell. *cit. Tom. V. Consult.* 14. quæ efficaciter probant, & convincunt, quòd licet absolute loquendo recipi possint Judæi, tamen faciliè recipiendi amplius non sint. Legantur in fonte, & movebunt.

**Resp. III.** Judæi, qui in Christianorum Territoriis semel recepti, & de protectione affecturati sunt, sine justa & legitima causa expelli non possunt. Barbosa in c. *Sicut Judæi*, 9. h. 2. num. 4. Decian. in *pr. Crimin. lib. 5. cap. 11. Socinus consil. 86. lib. 4. Vasquez Illustr. Controv. cap. 8. n. 12. & alii, arg. l. Nullus 14. C. h. 1. Ratio est; quia cuivis etiam Judæo, & gentili fides iuste data, servanda est, arg. l. *Sicut*, 5. C. de *Obligat. Et Ad.**

**Dixi**, sine justa causa; ob hæc enim Judæos semel receptos iterum expelli posse, tenent citati, & alii Doctores, inter quos etiam est Tuschus *lit. I. v. Judæi. Concl. 371. num. 8. Facinorosus Frag. Crimin. par. 2. lit. I. num. 64. Riccioli. Tract. de Jure personar. extra gremium Ecclesiæ existens. lib. 2. cap. 51. ubi ad n. 9. recenset causas, ob quas Judæi expelli possunt. Inter hæc causas juxta Barbosa *loc. cit.* sum vel maximè, si ex illorum cohabitatione periculum*

lum vel scandalum imminet Christianis, vel si machinationes, aut enormia preparant contra Fidem, aut Fideles Christianos, arg. l. *Judæos*, 11. l. *Judæi*, 16. C. h. 2. cum Concordant.

**Resp. IV.** Etsi Judæi, semel recepti sine causa ejici non valent, possunt tamen ac subinde debent Judæorum etiam jam receptorum ritus, & negotiationes, modulique vivendi & conservandi, legibus & pænis ita constringi, ne quidquam moliri valeant vergens in Religionis contemptum, aut periculum, vel Reipublicæ damnum. Ita communis, & praxi confirmata doctrina, arg. l. *Judæi commun. l. Nullus*, 14. C. h. 1. cum Concordant. Ratio est; quia aliàs nec Religionis, nec Reipublicæ sufficienter cautum foret, ob inexplicabilem nequitiam, & invalidam Judæorum erga Christianos, & Religionem ipsorum.

**Queritur III.** An, & qualis communicatio Christianis cum Judæis prohibita sit, vel concessa? Resp. I. In sequentiibus prohiberi Fidelibus communicationem cum Judæis habere.

**I.** Non possunt cohabitare in eadem domo cum Judæis.

**II.** Nec simul ingredi cum eisdem idem balneum: Neque adhibere Medicam Judæam.

**III.** Nec sumere medicinam à Judæo preparatam. Quòd totum patet ex *can. Nullus*, 13. *can. 28. q. 1. ibi: Nullus Est, cum eis (Judæis nempe) habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis recipiat, aut cum eis in balneo lavet: si vero quisquam hoc fecerit, si Clericus est, deponatur; si Laicus, excommunicetur.* In casu tamen necessitatis, ubi alius pro recuperanda, aut conservanda sanitate idoneus Medicus, vel Chirurgus, quam Judæus haberi nequit, hanc quoque adhibere licet, ut bene advertit Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 31. n. 8. Sylvester v. Judæus q. 1. Pirhing. h. 2. n. 2. Idem est de usu balnei, & medicinæ à Judæo preparatæ, eò, quòd lex humana in casu necessitatis obligare desinat per dicta Lib. I. Tit. II.*

**IV.** Prohibetur omnibus Christianis, ne serviant Judæis in domibus eorum, adeò, ut nec Nutrices, nec Obsterices esse possint infantium Judæorum, textu expresso c. *Ad hæc*, 8. h. 2. Causa hujus prohibitionis est scandalum, seu periculum perditionis ex tali servitio conflurgens, ut patet ex *cit. c. Ad hæc*, h. 2. illis verbis: *Quoniam ipsi (Christiani) de facili ob continuam conversationem, & assiduam familiaritatem ad superstitionem, & perniciam simplicium animos inclinant.* Concordat c. *Etsi Judæi*, 13. h. 2. ubi etiam alia causa prohibitionis adducitur illis verbis: *Nec filii Libere filius famulatur Ancilla, sed tanquam servi à Domino reprobari, in cuius mortem nequitur conjurari, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi Mors liberis, & illis servos efficit.*

**Controversia est inter Doctores, an saltem extra domum Judæorum possint Christiani illis pro mercede servire; Gloffa siquidem in cit. c. Ad hæc, 8. h. 2. *v. In eorum domibus, & ibidem Abbas n. 2. affirmat, eò quòd respectu servitium extra domum videatur abesse ratio prohibitionis, scandalum videlicet, & periculum perditionis. Econtra Joan. Andreas in cit. c. Ad hæc*, in *fine. Felinus nu. 3. Barbosa n. 4. Gonzalez n. 1. Sylvester v. Judæus q. 2. dict. 3. Sanch. in Decalog. lib. 2. cap. 31. nu. 19. Et 29. & alii rectius id negant: Tum quia c. Ad hæc*, 8. h. 2. universaliter & absolute inhibuitur est omnibus Christianis *Et c. ne Judæorum servitio se assidue pro aliqua mercede exponant.* Nec refert, quòd loquens de Nutricibus in domibus eorum addiderit Legilator; quia id non fecit ad restringendam pro-**

hibitionem, sed quòd frequentius contingere soleret, exprimere voluit.

**Nec valet objicere, in servitibus extra domum non procedere rationem prohibitionis, periculum nempe perditionis.** Nam contra est, quòd etsi, dato non concessio, cessaret causa prohibitionis in c. *Ad hæc*, 8. h. 2. allegata, tamen non cessat causa allegata c. *Etsi Judæos, eodem.* quia videlicet contra dignitatem Christiani est, agere servum Judæi à Deo reprobat, & ad serviendum condemnati. Vide textum supra n. 11.

**Cæterum bene inferat, quòd licet Christiani possint habere Judæam pro servitio suo extra domum, arg. cit. c. Etsi Judæos 13. h. 2. tam eundem continuo habere, & cum illo commorari non possint in domo sua, ut bene docet Sanchez *loc. cit. n. 2. Sylvester v. Judæus q. 3. dict. 1. Pirhing h. 2. n. 2. arg. cit. can. Nullus*, 13. *can. 8. q. 1. ubi omnis cohabitatio cum Judæo interdicitur.* Ratio est, quia etiam in tali casu commoratio, & continua familiaritas cum servo Judæo periculum superstitionis Judæicæ generare potest.**

**V.** Prohibitum est Christianis, ne Judæos ad convivium invitent, & ne invitati in convivio eorum compareant, textu expresso *can. Omnes*, 14. *can. 28. q. 1. Ratio prohibitionis est tum perditionis periculum: tum ne Christiani habeantur imitatio sancti, dum his cuncta, quæ opponantur, manducant, illi verò à pluribus cum immundis abstineant, ut bene innuitur cit. can. Omnes, ibi: Cæterum ea, quæ Apostolo permittente nos sanamus, ab aliis judicentur immunda, ac sic inferiores incipient esse Christiani quam Judæi; si nos, quæ ab ipsis opponuntur, utamur, illi verò à nobis oblata contemnant.* Licet tamen est cum Judæo manducate in eadem mensa, casu quo in eodem diversorio conveniant, ut bene advertit Sanchez *lib. 1. cap. 31. n. 15. Pirhing h. 2. n. 3.*

**VI.** Non possunt Christiani Judæis committere 16 Officia publica, quibus eis competat potestas, vel Jurisdiclio in Christianis, textu expresso c. *Cum sit*, 16. h. 2. ubi duplex ratio assignatur illis verbis: *Cum sit nimis absurdum, quòd blasphemus Christi, in Christianos vim potestatis exercent: & infra: Quoniam sub tali prætextu Christianis sunt plurimum infest.*

**VII.** Prohibitum est Christianis, ne Judæos haeredes, vel legatarios in Testamento instituant, arg. l. 1. C. h. 1. *Glossa, inc. Judæi*, 5. h. 2. *v. Permittuntur.*

**Resp. II.** Licetum est Christianis, emendo & 18 vendendo inire contractus cum Judæis: dummodò nimia caveatur familiaritas cum ipsis & conversatio, quæ scandalum, vel periculum generare possent, Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 31. n. 23. Pirhing. h. 2. n. 8. Ratio est; quia id nullo Jure invenitur prohibitum; nam concessum intelligitur, quòd expressè non prohibetur, Glossa in c. Inter corporalia. v. Non invenitur. de *Translat. Episcop.**

**Ex eadem ratione volunt aliqui, licitum esse 19 Christianis, intrare Judæorum Synagogas, quòd verum esse censemus, si abest scandalum, & perditionis periculum, præsertim, si ex sola curiositate, & breviter ad observandos, vel ridendos eorum superstitionis ritus fiat: secus foret, si quis frequenter eas, & diu moraretur in eis, quia hoc reverà periculosam familiaritatem cum Judæis faceret. Sanchez *loc. cit. nu. 17. Azotius p. 1. Instit. Moral. lib. 8. cap. 22. q. 3. in fine.***

**Queritur IV.** Quænam ulterius Judæis de Jure 20 concessa sint? Et quæ prohibita? Resp. I. Præter ea, quæ jam dicta sunt, possunt I. Judæi liberè celebrare Sabbatha, & alia putatæ sua Sacra, ita, ut illo tempore in jus vocari, aut aliter impediti non valeant.

valeant, textu claro c. *Consuluit*. 9. h. t. l. in *Exhibitionibus*. 2. & l. *Judæis*. C. eod.

21 II. *Judæi* legitime recepti sicut valeant jure Civium aliorum, ita ut rerum dominia non tantum habere, sed de iisdem tam inter vivos, quam mortuis causa liberè disponente, & quovis contractus tam inter se, quam cum Christianis inire, Matrimonium inter se ritum suo contrahere, actiones instituire, & excipere &c. queant. *Myning*. Cent. 5. *Obser.* 6. *Alexander Volun.* 3. *Consil.* 71. & alii commaniter. l. *Judæi Romano Jure*. 8. h. t. defumitur id ipsum etiam ex c. *De terris*. 16. de *Decimis*. & c. *Quanto* 18. in *fine*, de *Usur.* & confirmatur universalis consuetudine, quæ est optima Legum interpretis, c. *Cum dilectus*. 8. de *Consuetud.*

22 III. Specialiter, & expresse constituitur in Jure, ut *Judæi* converti ad Fidem possessionibus, & bonis suis, nullatenus spolientur, & spoliarum beneficium restitutionis plenum recipiant, textu claro c. *Judæi* 5. §. *Si quis*. h. t. cum Concordant. Neque possunt propter conversionem ad fidem à parentibus *Judæis* exheredari, Glossa in *can. Judæi*. 7. cau. 1. q. 4. §. *Fideles*, sed favore majori digni liberantur à Patria potestate, & sunt sui juris, Glossa in *can. Judæorum*. 11. cau. 28. q. 1. §. eod. *Pirhing*. h. t. n. 27.

23 IV. Quamvis *Judæi*, tam instituire, quam excipere valeant actiones; tamen si quam habent cum Christianis, coram Judice Christiano ligare compellantur, sive Rei sint, sive Actores, l. *Si quis*. 15. C. h. t. ibi: *Si qua inter Christianos & Judæos sit contentio, non à Senioribus Judæorum, sed ab ordinariis Judicibus dirimetur.*

24 Quod si contra Clericum delinquant *Judæi*, à Judice seculari Christiano poena pecuniaria compententer ad satisfaciendum laico Clerico compelli debent: casu quo autem Judex secularis in hoc deficeret, à Judice Ecclesiastico per Censuras ad id compellendus esset juxta prescriptum c. *Postulasti*. 14. h. t. Ipse tamen *Judæus* Clericum periculis Excommunicationem non incurrit, nec Censuris Ecclesiasticis puniri, vel ad satisfaciendum adigi potest, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt.*

25 Porro illud circa *Judæos* notandum, quod in habitu Christianis aperte distingui, consequenter in habitu signa manifestè distinctiva habentere incedere debeant, prout expresse statuitur c. in *nonnullis*. 15. h. t. ibi: *Statuimus, ut tales utriusque sexus in omni Christianorum Provincia, & omni tempore, qualitate habitus publicè ab aliis populi distinguantur.* Ratio ibidem additur, ne ex velamine erroris damnatæ commixtionem, aut alia perverisionis pericula eveniant.

26 Queritur V. Quinam veniant Nomine *Saracenorum*? Et quid Juris de illis? Resp. I. Nomine horum veniunt omnes illi, qui impie Mahometicæ sectæ adherant, ejusque dogmata in Alcorano contenta sectantur, & nec novum Testamentum recipiunt, vetus verò tantum ex parte amplectuntur; quales sunt non solum *Turcæ*, sed etiam *Perse*, *Tartari*, *Aegyptii*, & plurimi in *Africa*, omnes videlicet, qui dogmata Mahometis sequuntur, ut cum aliis bene observat *Barbosa in c. Ita quorundam* 6. h. t. n. 3. Dicit voluit *Saraceni* à *Sara* uxore *Abrahæ*, quasi ab ea stirpem derivarent; cum tamen ab *Agar* ancilla *Abrahæ*, & matre *Ismaelis* originem trahant. Verum ne ab ancilla descendere comminiter sciantur, ad declinandam ignominiam, & generis labem, à *Sara* se provenire mentionant, indeque *Saraceni* se intulunt, ut bene observat *Covarruvias Var. Resolut. lib. 4. cap. 9. Valens h. r. n. 2. & alii.*

27 Nomine *Saracenorum* etiam *Paganos*, ac omnes

*Infideles* venire volunt *Zoesius h. t. n. 3. & alii, arg. c. Quamvis sit*. 10. & c. *Especiali*. 18. h. t. Verum propriè loquendo *Paganii* illi sunt, & vocantur, qui verum Deum cæli in terra negantes, Idola colunt, & adorant; prout alibi latius diximus.

Resp. II. Circa *Saracenos*, & *Paganos* sequentia habentur sancita in Jure.

I. Quod quamvis tam *Saraceni* quam *Paganii*, æque ac *Judæi* sub tutela quorundam Principum Christianorum vivere, & jure Civium Romanorum uti permittantur l. *Christianos*. 6. C. de *Paganis*, Tempa tamen, & Sacrificia eorum à Jure speciatim prohibentur, protinusque claudi imò penitus dirui ubique locorum Christianorum jubentur, textu expresse l. 1. l. *Sicut*. 3. & l. *Omnia*. 5. C. eod.

Dico: *Judæi* peiores sunt *Saracenis*, & *Paganis*, 25 *can. Nomo*. 37. cau. 1. q. 1. ibi: *Nomo Sodomite Libnici erant, id est Gentilis? Peiores ergo erant Judæi, quibus Dominus dicit: Tolerabitur erit Sodomus in die Judicii, quam vobis: ergo si Synagoga Judæorum toleratur, & Sacrificia, etiam Paganorum toleranda videntur.* Resp. transmissio Anteced. negando Consequent. quia quod ritus, & Sacrificia *Judæorum* tolerantur, Ratio & utilitas nostre Religionis suadet, utpote quæ veritas per ritus *Judæorum* tanquam figuram multum confirmatur, ut amplius dictum est supra: quæ Ratio, quia in Sacrificiis *Paganorum* non militat, nec alia ratio eorum tolerantiam suadet, merito ubique extremè prohibentur; cum etiam universaliter loquendo, moralia permitti non debeant, nec possint, nisi ob aliquod bonum inde resultans, vel ut malum aliud per illa evitetur.

II. Per varios Canones, & Constitutiones Pontificias, & quidem sub Excommunicatione ipso facto incurrenda, ac Pontifici reservata, aliisque gravissimis poenis prohibetur, ne ullum armorum, aut instrumentorum, seu materialium bellicorum genus ad bellum contra Christianos servient, ad *Saracenos* deferant, transmittant, eisque vendant aut subministrant Christiani per textus claros, c. *Ita quorundam* 6. c. *Significavit*. 11. & c. *Ad liberandum*. 17. h. t. Item *Extravag. 1. eod. inter communes, & Extravag. Copiosus, in Joannis XXII. h. t. Quibus accedant Balli Cæne Domini, & Leges Civiles, ut l. Nemo. 2. c. que res exportari non debent, ubi sub poena capitali, & confiscatione omnium bonorum inhibetur, ne quis Barbaris consuevit gentis, etiam sub specie Legationis ad Christianorum Civitates pervenientibus, aut aliâ quâcumque occasione vel pretextu, aliquod qualecunque tandem armorum, aut instrumentorum bellicorum genus, vel etiam ferrum adhuc infectum vendat, & à fortiori ne ad ipsos transmittat. Item l. His qui. 25. C. de *Penis*, ubi etiam his, qui conficienda naves incogitant ante peritiam Barbaris tradiderint, capitale judicium proponitur.*

Et hæc prohibiciones de non vendendo *Paganis*, 31 ac *Saracenis* ullo armorum genere, & de non deferendo aliquo ad eos procedit non tantum durante Christianorum cum *Infiidelibus* bello, sed etiam tempore pacis, ut patet ex citatis Juribus, atque cum Communi docet *Barbosa in c. Quod olim*. 12. h. t. n. 2. & ibi *Abbas n. 1.*

Aliæ tamen merces nullam armorum naturam habentes, ad *Saracenos* & *Paganos* tempore pacis (non item tempore belli) deferri, eisque vendi bene possunt, ut à sensu contrario rectè inferat *Barbosa in c. Quod olim*. 12. h. t. n. 2. & ibi *Abbas n. 1. Pirhing. h. t. n. 36. arg. cit. c. Quod olim*, ubi penitus omne commercium cum *Saracenis* prohibetur tempore *Querre* seu belli; ergo extra tempus *Querre* non omne commercium, sed illud tantum

tantum prohibetur, quo venditur, aut transferitur aliquod armorum genus contra Jura supra num. 30. citata.

Porro licet illi, qui arma deferunt ad *Infideles* non *Saracenos*, puta *Paganos*, *Ethnicos*, *Judæos*, vi Juris communis Ecclesiastici non sint excommunicati, nec aliis poenis ab eodem statutis subjecti, cum *Canones num. 30.* citati de solis *Saracenis* loquantur, consequenter tanquam odiose extendi non debent *arg. c. odia. de R. l. in 6. ut post Azorium p. 1. lib. 8. cap. 23. q. 4. bene notat Barbosa in c. Ita quorundam* 6. h. t. num. 3. *Pirhing. h. t. n. 34.* Tamen, ut iidem etiam addunt, vi *Bulle Cane* etiam isti sunt excommunicati, eò quod in ea sub dicta poena gravissimè prohibetur illis verbis: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcos, & alios Christiani Nominis hostes, vel Hæreticos, per nostras, sive S. Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera atque bellica instrumenta, lignamina, canvas, funes tam ex ipsa compe, quam aliâ materiâ, & ipsam materiâ, aliaque hujusmodi, quibus Christiani & Catholicos impugnant, nec non illos, qui per se vel per alios de rebus statum Christiana Republica concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum, ipsos Turcos, & Christiane Religionis inimicos, uti damnum Catholicis Religionis certiorum faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, & favorem quomodolibet præstant &c.* Tales aliquod armorum genus vendentes cuicumque tandem genti *Barbaræ*, seu non Christianæ etiam transgrediuntur leges Civiles num. 30. citatas, earumque poenis subjacent.

Cæterum quare utroque Jure tam graviter, tantisque sub poenis prohibetur, ne ullo etiam pacis tempore aliquod armorum genus *Saracenis*, & aliis Christiani Nominis inimicis vendatur, vel ad eos deferatur, Ratio est; quia perniciosum, & proditioni proximum est, *Barbaros*, quos indigere convenit, telis eos, ut validiores reddatur, instruire, uti dicitur l. *Nemo*. 12. *Quæ res exportari*. Cur autem tempore belli penitus omne commercium etiam de rebus aliis licitis prohibeatur, ratio est, ne occasione alicujus commercii iniquè manifestentur occulta consilia, aut fiant prodiciones, vel aliæ perniciose Machinationes.

Enimverò gravissimè, & quidem sub poena Excommunicationis insuper prohibetur est Christianis, ut *Saracenis* nullum armorum genus, nullumque aliudque qualecunque subsidium, vel auxilium præstent; item ne etiam aliquod illis consilium contra Christianos præstant, uti expresse statuitur c. *Quod olim*. 12. h. t. ibi: *Nec alio quocunque modo, aut ingenio eis consilia, vel alia subsidia transmittatis, & c. Ad liberandum*. 17. eod. ibi: *Qui aliquod eis impendant consilium, vel auxilium: Quos proin ibidem Concilium Generale merito vocat falsos, & impios Christianos. Sed dolendum sanè, quod sanctissimæ hæc tam Ecclesiasticæ, quam Civiles leges tam parvo observentur, cum prohi dolor non raro præsertim frigidis hæc temporibus, *Saracenis*, aliisque Christiani Nominis & Ecclesiæ verè inimicis contra Catholicos tam tempore belli, quam pacis non tantum omnis generis arma & subsidia mittantur, sed pessima etiam consilia contra ipsos jugiter suggerantur, ac, quod deplorandum, arditissima etiam foedera cum iisdem habentur.*

Occasione hujus in isto Titulo practica aliquam Quæstionem intituunt Doctores, quæ

35 Queritur, An, & qualiter prohibetur ac licitum sit Christianis inire foedus belli cum *Saracenis*, *Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.*

aut aliis *Infiidelibus*, vel etiam *Hæreticis*? Verum ad hanc Quæstionem patebit *Tit. seq. à numer. 265.*

Queritur VI. An Principes Christiani *Judæos*, & 37 *Saracenos*, aliosque *Infideles* sibi subditos ad fidem, vel Baptismum cogere, aut ob *Infiidelitatem* & Territorio suo ejicere valeant? Rationes & motiva dubitandi, affirmativamque tenendi, plura sunt. Inprimis enim certum est apud Theologos quemvis hominem etiam *Judæum*, & *Infidelem* lege Divinâ, & naturali teneri ad Baptismum & Fidem sufficienter propositam suscipiendam; ergo cum Superiorès tam seculares, quam Ecclesiastici tanquam Custodes, & Ultiores legis Divinæ universaliter possint subditos suos cogere ad observandas leges Divinas, poterunt etiam *Judæos*, ac *Infideles* saltem sibi subditos ad observantiam hujus legis Divinæ cogere.

Pro eadem parte affirmativa videntur etiam favere Jura, ut *can. Jam verò*. 4. cau. 23. q. 6. ubi *Gregorius* Papa Januario Episcopo mandat, ut Rufficum quandam impositione oneris ad Deum venire cogat, & l. *su. C. de Paganis* ubi *Paganii* renuentes baptizari, confiscationis banorum, & exilio puniri jubentur, ac l. *Calcularum*. C. de *Judæis*, quæ præcipitur, ut *Calicolas* ad Fidem Christianam converti renuentes, iidem, quæ *Hæretici* stringantur poenis: *Hæretici* autem ad Fidem Catholicam cogi possunt, juxta dicenda *Tit. seq. Ergo & Infideles.*

Accedunt exempla præclarissimorum Regum, & 39 Principum, ut *Sisebuti Gothorum* Regis, qui *Judæos* in Hispania baptizari renuentes, ruperit decalvari, flagellis credi, & eorum bonis fisco addictis, exilio puniri jussit, uti constat ex *Concilio Toletan.* 6. Item Regum *Ferdinandus*, & *Elizabeth*, qui *Judæos*, & *Saracenos* baptizari recusantes, in toto Hispaniæ Regno exterminarunt, & ejecerunt; ac propterea magnis laudibus extolluntur à Doctoribus apud *Gonzalez in c. Sicut Judæi*. 9. h. t. n. 2. Quibus non obstantibus

Resp. I. Non est licitum Principibus Christianis 40 *Judæos*, & *Saracenos*, aliosque *Infideles*, etiam sibi subditos, directè cogere ad suscipiendam Fidem, vel Baptismum. S. *Ambrosius Serm.* 13. in *Psalm.* 118. S. *Thomas* 2. 2. q. 100. *art. 8.* *Barbosa in c. Sicut Judæi*. 9. h. t. num. 9. & ibi *Gonzalez num. 5.* *Beccanus de Fide*. cap. 13. q. 4. num. 2. §. 3. *Del bene de Officio Inquisiti*. p. 2. *sub.* 230. *Sec.* 8. *Suarez de Fide*. *Disp.* 18. *sect.* 1. *Et seqq.* *Pirhing h. t. num. 26.* cum communi tam Theologorum, quam Canonistarum, ob clara Jura *can. de Judæis*. 5. *dist.* 45. ibi: *De Judæis autem præcipit S. Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri: cui enim vult, miseretur Deus, & quem vult, indurat: & cau. Ad fidem* 33. cau. 3. q. 5. ibi: *Ad fidem nullus est cogendus invitus, ac c. Sicut Judæi* 9. h. t. ibi: *Statuimus, ut nullus invitus, vel nolentes Judæos ad Baptismum venire compellat.* Ratio ulterior subiungitur *can. de Judæis*. *dist.* 45. illis verbis: *Non enim invitum salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ: sicut enim propriâ arbitrii voluntate serpeni obediens perit, sic vocante se gratiâ Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur.* Accedit, quod talis coactio directè fidem Christianam exolam, & de Tyrannide suspensam redderet, multaque alia mala secum traheret.

Nec obstant Motiva in contrarium: Non ratio 41 *num. 37.* allata; Tom quia Principibus Christianis in hoc puncto deest jurisdictionio: *Ecclesiasticis* quidem ex eo, quod in *Infideles* jurisdictionem Ecclesiasticam non habeant juxta illud *Pauli 1. Corinth.* 12. *Quid mihi de iis, qui foris sunt.* *Secularibus* autem, quia

quia eorum iurisdiclio ordinatur ad finem natura- lem; ac temporalem, non vero ad finem superna- turalem, seu ad ea, quae sunt Ordinis supernaturalis, uti sunt Fides, & Baptisma. Gonzal. loc. cit. num. 8. Vel si etiam circa ea, quae sunt Ordinis supernaturalis, & ad finem hunc ordinata. Principi- bus secularibus in suos subditos aliqua iurisdiclio competit pro custodia legum Divinarum, uti com- petere videtur hoc ipso, quod Transgressores, vel obviare volentes iura Divina variis poenis etiam mortis afficiant, tamen haec eis non competit in sub- ditos, ut cogere eos possint ad Fidem ob specialem prohibitionem per Jura supra num. 40. citata.

Ad Jura in contrarium allegata responderetur, illa intelligenda esse de coactione indirecta, qua onera aliis quidem debita, sed rigoroso jure imponuntur, quae Fidelibus vel ex toto, vel ex parte remit- tuntur: vel qua poenae confiscationis bonorum, vel exilii &c. aliis delictis quidem promerite Judaeis, aut Pagani stricto Jure infliguntur, quae Fidelibus gratiose remittuntur. Palao Tract. 4. disp. 2. p. 6. numer. 5. Gonzalez loc. cit. num. 9. & alii. Ad quae si quis reponat, hanc Legum interpretationem non longe abesse a fortione eorum. Respondetur ita sua- dere clariore aliorum Jurum textus, coactionem Infidelium ad Fidem manifeste prohibentes, quibus ne discordent, se concordent alia, interpretationem etiam minus claram adhiberi oportet, cum expedi- dit Jura Juribus concordare, & eorum correctio- nem, si sustineri valent, evitari, c. Cum expediat. de Elect. in 6.

Dicitur tamen notanter in Conclusione directi, quia indirecte cogi ad Fidem, & Baptisma posse Judaeos, atque Saracenos, communiter admittunt Doctores; quae indirecta coactio fieri potest variis modis, v. g. promissione, aut oblatione praemiorum, honorum, privilegiorum. Officiorum, remissione totali aut partiali onerum alius debitorum, si Fidem suscipiant, aut rigorosa eorum exactione, ab iis, qui non suscipiunt, aut superstitiosorum rituum usum tanquam Reipublicae nocivum prohibendo, captivos liberando &c. quia haec coactio nec justitiae, nec alii virtuti adversatur; consequenter tan- quam licitum medium ad finem tam sanctum con- sequendum omnino applicari poterit, quod idem D. Gregorius praecavit, prout patet ex illis verbis, quae lib. 4. Epist. 6. habentur: Pervenit ergo ad me, esse Hebraeos in possessionibus nostris, qui converti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi, quod per omnes possessiones in quibus Hebraei esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter pro- mittens, quod quicumque ad verum Dominum nostrum Jesum Christum ex eis conversus fuerit, omnis pensionis ejus ex aliqua parte imminuetur. Quid ita quoque fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit, id solidi pensione annua, remissis ei relaxari debeat; si tres, vel quatuor, unus solidus relaxetur; si quid amplius, jam juxta eundem modum debet relaxatio fieri vel certe juxta quod Dilectio tua providet, ut & ei, qui con- vertitur, omnis revoleatur. & Ecclesiastica utilitas gra- vi dispendio non premarur. Nec hoc inutiliter faci- mus, sed pro levandis pensionum oneribus ad Christi gratiam perducamus; quia est ipse minus fideliter ve- niant, hi tamen qui de eis nati fuerint, jam fideliter baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucratur. Et ideo non est grave, quicquid de pensione pro Christo dimittimus.

Resp. II. Judaei & Saraceni in Territorium Chri- tianorum semel suscepti, & de habitatione, ac pro- tectione pactis, aut promissis adsecrati, ex hac so- la causa, quod Fidem, vel Baptisma suscipere nolint, ejici non possunt. Patet Conclusio ex dictis numer. 7. quibus accedit, quod talis esset

directa, consequenter injusta coactio ad Fidem, dum sine alia legitima causa privarentur habita- tione, quae eis etiam ut Infidelibus promissa sique jure debita est.

Dicitur autem notanter, ex hac sola causa &c. Nam si alia justa causa concurrat, v. g. iniqua eo- rum conspiratio, aut machinatio contra Christianos, vel si alia ratione incipiunt esse scandalosi, pernicio- si, aut periculosi Reipublicae Christianae, aut bono communi politico, aut si ob alia delicta merentur ejectionem, ejici utique poterunt, prout pariter diximus supra num. 7. Et ex hujusmodi causa meri- to ejecti censentur ex Hispania. Unde exempla nu- 39. adducta contra conclusionem n. 40. positam non militant.

Observat etiam bene cum communi aliorum Lay- man Lib. II. Tr. 1. cap. 17. n. 2. illos Judaeos, & In- fideles, qui jam semel Fidem Catholicam etiam coactis professi, & per hanc veluti januam in Ecclesiam in- gressi, ejus iurisdictioni se subdiderunt, ab ea postea impie recedentes, ad Fidem & obedientiam Ecclesiae directe quoque cogi, ac propter reitentiam & Chri- stianorum teris ejici posse textu satis claro c. De Ju- daeis. 5. dist. 45. ibi: Operietur ut Fidem, quam etiam vi, vel necessitate coacti susceperunt, tenere cogantur. Et hoc a fortiori etiam intellige de illis qui ut Chris- tiani nati, ac educati ad Judaeismum, vel Infidelitatem, aut etiam Haerem apostatarunt. Layman ibid.

Quaeritur VII. An Judaei, & Infideles non ad- subditos ob solam Infidelitatem, Idololatriam, alia- ve peccata contra naturam, Christianis tamen, aut innocentibus non injuriosa bellum indicere, sique ob hanc solam causam bello expugnari, terrisque, & possessionibus suis privari valeant? Resp. Negativè. Ita cum communiori Covarruvias Regula Peccatum, p. 2. §. 10. num. 4. Molina de Jure & Jus. Tr. 2. Dis- put. 5. §. 6. Layman lib. 2. Tr. 1. cap. 17. num. 5. Engel h. t. num. 9. quamvis hic affirmativam quoque probabilem existimet, quam apud Molinam loc. cit. etiam tenent Mairon. in 4. dist. 15. q. 20. & Alpho- nus de Castro 2. de Jure haereticorum punitione cap. 14. volentes, hanc solam causam fuisse sufficientem Incolis novi Orbis inferendi Bellum. Ratio autem nostrae Conclusionis est; quia deest iurisdiclio, si- ne qua non datur justa criminis etiam legi Divinae adversi punio: Sicut enim ex defectu iurisdictionis Rex Hispaniae non potest punire Gallorum de- licta, etiam legi Divinae, & naturali adversa, nec illos bello adigere ad observantiam Divinae legis; ita neque Principes quicumque tandem Catholicis bello adigere poterit Infideles ad Fidem, servan- dasque leges Divinas. Confirmatur: Princeps Chri- stianus non potest Infideles sibi subditos cogere ad Fidem; ergo multo minus alienos; atqui bello hos adigere ad Fidem, esset directe cogere illos ad Fi- dem, ergo.

Nec pro affirmativa militat, quod olim Israe- litae infideles, plures ob solam Infidelitatem bel- lo expugnaverint, terrisque & possessionibus suis spoliaverint. Resp. enim id eos fecisse ex spe- ciali jussu, & concessione Dei, qui totius Uni- versi plenissimus Dominus est: Nam Domini est terra, & plenitudo ejus, & universi, qui habitant in ea.

Dicitur autem notanter, ob solam Infidelitatem, si enim injuriam inferunt Christianis, utique bel- lo expugnari poterunt; ob hanc enim sibi illatam supremi Principes justam causam habent, bello expugnandi injuriam inferentes quoscumque etiam sibi subditos. Pariter bello expugnari pote- runt Infideles ob peccata, quae in injuriam inno- centium vergunt. Innocentes enim defendere permittum est a Deo, juxta illud Proverb. 24.

Exue

Exue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.

Limitatur etiam Conclusio in casu, quo Infide- les Praedicatoribus Evangelii resisterent, & denega- rent licentiam praedicandi Evangelium, vel si sub- ditis suis Fidem ad Praedicatoribus audiendi, eamve suscipiendi recusarent licentiam; tali enim in casu, ob injuriam illatam S. Evangelio, quod praedicari in universo Mundo praecipit Christus Marci 15. Euntes in Mundum universum praedicate Evange- lium universae Creaturae, bello expugnari licite posse Infideles, plerique fatentur cum D. Thoma 2. 2. q. 8. a. 8. Becanus de Fide cap. 13. q. 4. concl. 3. Layman lib. 2. tr. 1. cap. 17. num. 3. Engel h. t. num. 10. Et cum haec causa apud Infideles plerum- que inventur, autem eis bello julle expugnandi, ferè semper habentur, & etiamnum habent Prin- cipes Christiani.

Quaeritur VIII. An Judaeorum & Infidelium li- beri incisi, aut invidis parentibus licite baptizari valeant? Resp. I. Spectando communionem Docto- rum, ordinari loquendo de liberis hujusmodi, ante usum rationis id licitum non esse, Barbosa in c. Sicut Judaei h. t. num. 3. & ibi Abbas, ac Felinus; Na- varrus Const. 4. de Controvers. infidel. D. Thomas 2. 2. q. 10. a. 12. Engel h. t. num. 11. & communior alio- rum, quos licet sumus in Theologia nostra Mo- rali Tr. 14. dist. 3. q. 1. num. 8. Ratio est, quia li- beri Infidelium ante usum rationis secundum Jus naturale sunt sub cura parentum, quibus proin in- juria contra Jus naturale fieret, si illis invidis, li- beri eorum baptizarentur. Accedit, quod valde periculosum esset, ita baptizare tales liberos, ut po- tui remanentes apud parentes (eis enim invidis auferri nequeunt) ex effectu ergo illos, & seductio- nem eorumdem facillime ad Infidelitatem redirent, non sine injuria Baptismi. Hinc neque Ecclesia unquam consuevit liberos Infidelium invidis parentibus bap- tizare.

Dicitur autem notanter Ordinariè. Limitatur e- nim Conclusio in nonnullis casibus.

I. Si proles a parentibus jam separata, iis am- plius restitui non possent, aut non deberet, uti fit, si parentes jam sint mortui, aut à Christianis in jus- to bello capti.

II. Si unus parentum altero dissentiente ad Bap- tismum consentiat; quia tunc parentis con- sentientis voluntas justior in favore prolis praes- renda est.

III. Si proles ad usum rationis jam pervenit, aut pervenisse praesumitur, baptizarique velit; quia in iis, quae concernunt animae salutem, homo non dependet à parentibus.

IV. In articulo mortis: sicut & si liberi etiam adulti censentur perpetuo amentes, incisi vel etiam invidis parentibus baptizari valent; dummodo id in his ultimis duobus casibus absque gravio- ribus incommodis fieri possit; quia in his casibus cessat periculum perversionis, ac injuriae Baptismi, prout jam docuimus in Theologia nostra Morali cir. loc. Imò

Resp. II. Valde probabile est, Judaeorum & In- fidelium liberos ante usum rationis incisi & invidis parentibus semper licite, quin & laudabiliter bap- tizari posse, praesertim si adhibetur cautela, ne à pa- rentibus in odium Fidei occidantur, & spes sit, quod religiose educari valeant, Scotus in 4. Distinct. 4. q. 9. Maironius in 4. Disput. quest. 4. Sannig Tom. 3. Disp. 2. q. 13. citans Poncium, Brancacum, Hic qua- rum, & communem Scotistarum, cum quibus etiam sentiunt Joan. Andreas, Archidiaconus, Gemina- nus, & alii apud Barbosam loc. cit. Probat Ratio- ne Scoti; quando dominia & potestates sunt sub- Reiffenhuus Jus Can. Tom. V.

ordinate, obediendum est habenti potestatem ma- jorem neglecto praecipito, vel contradictione ha- bentis potestatem & dominum minus, juxta il- lud D. Augustini hom. 6. de Verbis Domini: Si aliquid jubet potestas, quod non debes facere, hic sa- ne contemne potestatem, rimendo potestatem majorem; sed Deus habet majorem potestatem, majusque jus in filios Infidelium, quam parentes eorum; ergo magis parendum Dei, quam parentum voluntati circa eorum filios; atqui Deus praecipit univer- saliter omnes, & consequenter etiam Infidelium li- beros baptizari, juxta illud, docete omnes gentes, baptizantes eas &c. ergo etiam invidis parentibus baptizari possunt.

Confirmatur: si infideles parentes prolem suam negando, aut subtrahendo ei alimenta, aut alia vitae necessaria vellent occidere, aut nolent ab alio- quo alio manifesto vitae periculo liberare, profecto possent quibus incisi, vel etiam possent invidis pa- rentibus talem prolem cibare, eique necessaria vi- tae praebere, & vitae periculo liberare, non ob- stante, quod proles jure naturae sit sub cura pa- rentum; quia haec eis potestatem, vel jus in vi- tam prolis, ita ut eam pro libito perdere, vel ne- gligere possent, non tribuit, sed potius obligatio- nem pro possibili conservandi eandem imponit, prout omnes fatentur; ergo etiam potest quis tali proli invidis parentibus praebere necessaria ad vi- tam animae, cujusmodi est Baptismus, utpote sine quo anima est, & in aeternum manet mortua; cum parentum cura jure naturae in prolem com- petens multo minus tribuat jus in animam aut po- testatem perdendi, vel negligendi eandem, sed po- tius imponat gravissimam obligationem, ad hendi- omnia ad vitam animae necessaria: inter quae vel maxime est etiam Baptismus.

Confirmatur ulterius: si proles Infidelium non possent baptizari invidis parentibus, hoc ideo esset, quia parentes vi curae paternae habent jus natu- rale, ne illis invidis proles eorum baptizetur; & consequenter, quia eis fieret injuria contra jus na- turae, ut argumentantur Adversarii; atqui falsum est, quod parentes habeant tale jus in filios; quia jus naturale non est contrarium sibi, aut Juri Di- vino, nec ejus impeditivum, cum gratia natu- ram non destruat, sed perficiat; Proles autem Infidelium habet jus Divinum naturale, quod pos- sit baptizari, & parentes illius tenentur etiam Ju- re Divino naturali & ipsi Baptisma suscipere, & procurare, vel permittere, ut proles eorum baptize- tur; ergo.

Confirmatur adhuc: Jus naturale non est sibi- metipsum contrarium: sed infideles parentes vi curae paternae, jure etiam natu-ali tenentur proli suae procurare, vel permittere necessaria ad vitam ani- mae; ergo vi ejusdem curae paternae non habent jus necessaria ad vitam animae impediendi; atqui Baptismus est proli eorum necessarius ad salutem, & vitam animae: ergo vi curae paternae Jure naturae tenentur eum proli procurare, vel permittere; con- sequenter vi curae paternae non habent Jus naturale Baptisma impediendi.

Dices: parentes Infidelium bona fide procedunt resistendo Baptismo suae prolis, eo quod rectam Fidem lumine naturae sibi minimè notam ignoran- tes putent, se bene agere; ergo non agunt contra jus naturale; consequenter confirmationes praecedentes nil probant. Resp. Si Infideles vivunt in locis Fidelium, ut Judaei à potiori vivunt; bonà fide procedere, eos ex ignorantia invincibili, & bonà fide procedere, eo quod in talibus locis Fides, & ne- cessitas Baptismi eidem possint, & sufficienter pro- ponatur; consequenter potius pertinaces, quam

in bona fide esse censendi sunt. Resp. II. Dato, quod plures infideles ex ignorantia invincibili, & bonâ fide resistent Baptismo luxæ proles; tamen exinde nullum competit parentibus Jus naturale, ne ipsi invictis proles eorum baptizetur, nec fit illis injuria, si eis invictis proles baptizetur; quia, sicut non fieret injuria, si invito Rultico Catholico ex invincibili ignorantia necessitatem Baptismi ignorante, proles ipsius à Parocho baptizaretur; quia invincibilis ignorantia, & bona fides parentum etiam infidelium non facit, nec excusat, quin Baptismus proli sit necessarius, & hæc sine illo perat; neque facit, quin proles Jus divinum naturale habeat ad Baptismum: consequenter parentes non habent jus naturale, ne baptizetur, nec fit eis injuria contra jus naturale, si invictis eidem baptizetur, alias jus naturale manifeste sibi esset contrarium, ut consideranti patet. Et per hoc patet sufficienter responsio ad rationem in contrarium num. 51. allegatam.

78 Ad illud, quod num. 51. dicitur, ob periculum perversionis Baptismo fieri injuriam. Resp. Plurimas esse vias, quibus tale periculum evitetur, etiam absque hoc, quod proles à parentibus separetur, ut si v. g. sub eorum cura usque ad usum rationis relinquatur, & postea primum separetur; prout absque injuria parentum fieri potest, quia tunc proles in iis, quæ contra salutem animæ, obedire non teneretur, sed potius Ecclesiæ, cujus membrum mediante Baptismo prius collato jam esset effectum. Deinde negari potest, ob periculum futuræ Apostasiæ fieri injuriam Sacramento Baptismi, conferendo illud intanti infideli: sicut enim non obstante periculo relapsus, nulla fit injuria Sacramento Confirmationis, Eucharistiæ &c. ita etiam nulla dici debet fieri injuria, si stante periculo Apostasiæ conferatur infanti infideli. Prefertim quia non obstante tali periculo apud plures optimum effectum habere potest, illos nempe, qui adhuc ante usum rationis moriuntur, qui utique sunt multi; & illos, qui contra legem naturæ non peccant, & bonâ fide contra præcepta Ecclesiæ agunt, utpote qui sic Baptismo provisi, æternum salvarentur. Plura de hac materia, qui cupit, videat Matrium loc. cit.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

1 Ratio continuationis, nec non laus Italarum, & Hispaniarum, ac econtra negligentia Germanorum in hac materia.

Post præcedentem Titulum, in quo agebatur de iis, qui Baptismo carentes, Deum blasphemant vel negando, vel malè colendo, recto ordine sequitur de iis, qui Baptismo jam imbuti Deum inhonorant à verâ Fide deficiendo, quales sunt Hæretici. De quibus ad hanc Rubricam fusè agunt, Canonique, Jura & Leges contra illos emanatas exactè observant Itali, & Hispani; idque sanctè & merito: sic enim à pestifera, & maxime nociva Hæresi Provincias suas conservarunt, & etiamnum conservant immunes: Dum econtra Germani negligendo, & transgrediendo præfatos sanctissimos Canones & Leges in causa fuere, quod Hæresis successivè in tantum invaluerit, ut non solum integra Regna, & Provincias illa infectas videre, sed insuper pati debeant, quod Hæretici in memoratis Provinciis plures Episcopatus, ac bona illorum

possideant, totaque in Germania plenam cum Catholicis communicationem habentes ferè sine omni poena in Hæresi liberè vivant, factis ad id etiam publicis pacis tractatibus, & fœderibus. De quorum valore infra §. IV.

§. I.

De Natura, ac Divisione Hæresis, & Hæreticorum.

SUMMARIUM.

- 2 Hæresis unde dicta?
- 3 Hæresis formalis quid?
- 4 Requiritur ad eam error in intellectu, & pertinacia voluntatis.
- 5 In quo consistat hæc pertinacia.
- 6 Externè tantum negans fidem, non est Hæreticus.
- 7 Nec internè errans circa fidem, si paratus sit se submittere iudicio Ecclesiæ. Et n. seq.
- 9 Etiam si ex ignorantia crassa erret circa fidem.
- 10 Hæreticus est, qui dubitat de fide, vel aliquo fidei articulo
- 11 Sufficienter propositio.
- 12 Hæresis alia est formalis, alia materialis.
- 13 De Vulgo Hæreticorum plurimi sunt materiales.
- 14 Observatio præctica circa Hæreticos vulgares, & praxi eos facilius ad fidem reducent.
- 15 Hæresis formalis alia est externa, alia interna.
- 16 Externa, alia publica, alia occulta.
- 17 Hæresis, & Hæretici dividuntur pro diversitate Hæresarcharum, quos sequuntur.
- 18 Enumerantur in specie Hæreses antiquæ.
- 19 Enumerantur in specie etiam recentiores.
- 20 Recentissima quoque in specie recensentur.
- 21 Etiam Jure Civili omnes censentur Hæretici, qui vel leviter dissentiant à iudicio Catholice Religionis.

Quæritur I. Quid sit Hæresis? & quid Hæreticus? Ante Responsonem nota, Hæresin esse verbum Græcum, idem ac electionem, vel eligere ac sectari significat, eò quod sit novæ, & à communi Ecclesiæ, & Spiritus sancti vero sensu alienæ doctrinæ, & opinionis electio, aut secta, can. Hæresis 27. & can. Hæreticus 28. cau. 24. quæst. 3. Hoc notato,

Resp. I. Hæresis formalis (hanc siquidem hæc definitimus & non materialem, de qua infra) est error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tenet contra aliquam veritatem Fidei Catholice. Ita in re cum communi Catholicorum S. Thomas 2. 2. quæst. 11. a. 1. Farinacius Prax. Crimin. quæst. 178. num. 5. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 7. numero 1. Pirhing b. t. num. 1. & alii. Dicitur notanter, homo baptizatus; quia errores, quos non baptizati, v. g. Turcæ, Gentiles, Judæi contra Fidem Catholicam habent, non Hæreses, sed Paganismi, vel Judæismi sunt, & vocantur, ac propterea sub poenis Hæreticorum ab Ecclesia in hos latos non subjacent, uti post Suarez Dissp. 19. de Fide, sess. 1. bene observat Pirhing b. t. num. 3. arg. c. Odiæ. de Reg. Jur. in 6.

Resp. II. Ad Hæresin formalem duo copulative requiruntur, nimirum error in intellectu, & pertinacia in voluntate. Commnis & certa arg. can. Dixit Apostolus 29. & can. qui in Ecclesia. 31. cau. 24. quæst. 1. Et quidem quod requiratur error, id est erronea opinio, vel iudicium intellectus contra Fidem Catholicam, patet; quia Hæresis est species infidelitatis, hæc autem importat errorem intellectus contra veram Fidem, ut notant Theologi. Quod verò requiratur pertinacia ex parte voluntatis, clarè habetur ex c. Dam.

§. I. De Natura, ac

Dammamus 2. de Summa Trinitat. & cit. can. Dixit Apostolus. 29. cau. 24. q. 3.

Solum notandum, pertinaciam ex parte voluntatis ad constituendam Hæresin requisitam non consistere in hoc, quod quis acriter, & quasi mordicus diu retineat, defendat, vel tueatur errorem contra fidem, sed in hoc, quod hujusmodi errorem retineat, postquam contrarium eidem sufficienter jam est propositum, vel etiam quando scit, contrarium teneri à vera universali Ecclesia Catholica, cui iudicium suum præferre præsumit, prout bene cum communi aliorum advertit Matrius in Theolog. Morali disp. 10. numer. 24. Ratio est; quia in rebus Fidei quilibet tenetur se subicere iudicio, ac definitioni Ecclesiæ, utpote quæ est columna & firmamentum veritatis, 1. ad Timoth. 3. ita, ut portæ inferi non prevalebunt adversus eam. Math. 16. y. 18. Hinc qui hoc facere renuit, iam plus nimio, & superbe adheret propriæ opinioni; vel iudicio suo erroneo, consequenter pertinax in suo errore est. Cæterum ex dictis Inferitur I. Eum, qui metu mortis, vel ex alia causa negat externè Fidem, aut aliquid Fidei contrarium affirmat absque interiori mentis assensu, quò verum eredit, quod ore profert, graviter quidem peccare contra præceptum profertendi Fidem, propter tamen, ac verè Hæreticum non esse. Navarrus in Manual. cap. 27. numer. 16. Sanchez loc. cit. cap. 7. numer. 8. & communis aliorum: Ratio est; quia Hæresis essentialiter consistit in interno iudicio erroneo intellectus contra Fidem, quæle hic non adest. Nihilominus in Foro externo talis censetur Hæreticus, & ut Hæreticus merito puniretur, quia Ecclesia non iudicat ex occultis, c. Sicut tuis, de Simonia.

Inferitur II. Quòd ex ignorantia errans contra Fidem, simul tamen iudicio Ecclesiæ sese submittere, paratus credere, quod illam credere intellexerit, non sit Hæreticus; quia in suo errore non est pertinax contra Fidem, arg. c. Dammamus §. In nullo tamen, de Summa Trinitat. junctâ Glossâ ibid. y. Paratus. ubi hæc de causa Joachim Abbas non censetur Hæreticus, non obstante, quòd docuerit sententiam Hæreticam ibidem damnatam; quia videlicet Scripta sua submitit iudicio Sedis Apostolice, sicque non fuit pertinax. Unde S. Augustinus relatus c. Dixit Apostolus. 24. q. 3. sic ait: Qui sententiam suam quomvis falsam atque perversam, nullâ pertinaciâ animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ sine presumptione pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quorum aures cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi. Hæc ibi.

Hinc Fagnanus in c. Dammamus, de Summa Trinitat. num. 25. ait de Joachim Abbate, quòd stante sua prolestatione, quam ibidem verbatim refert, non fuerit Hæreticus, sed erraticus; quia noluit discedere à Christo. Est autem differentia inter Erraticum, & Hæreticum: nam simplices homines (seu qui ex simplicitate errant circa Fidem, tamen suam opinionem Fidei Ecclesiæ supponunt) sunt Erratici quia errant; & tamen non sunt Hæretici, quia nolunt à Christo discedere, ut post Baldum loquitur Fagnanus in c. Firmiter, de Summa Trinitat. num. 20. Concordat c. Hæreticus est. 24. q. 3. ibi: Ille autem, qui hujusmodi hominibus hæreticis credit, homo est imaginatione quadam veritatis & pietatis delusis.

Imò addunt Doctores ab Hæresi, & poenis Hæreticorum Jus Can. Tom. V.

Divisione Hæresis, &c.

vicorum immunem esse quoque illum, qui ex ignorantia etiam crassa, & supina, ac mortaliter culpabili ignorat, errorem suum, seu opinionem erroneam veræ Fidei, & veræ Ecclesiæ esse contrariam. Farinacius in Prax. Crimin. q. 179. à num. 29. Sanchez loc. cit. cap. 7. num. 20. Pirhing, b. t. num. 2. Layman lib. 2. tr. 1. cap. 13. nu. 2. cum Communi. Ratio est; quia ad huc deest pertinacia, quæ requirit scientiam, quòd pertinacis opinio, vel iudicium adversetur, veræ Fidei, aut Ecclesiæ. Accedit, peccatum Hæresis non esse peccatum ignorantie, sed infidelitatis positive, ad quam requiritur scientia, contrarium teneri à vera Ecclesia. Confirmatur; quia aliis plurimi inter Catholicos essent Hæretici; cum plurimi ex ignorantia etiam culpabili vententur in erroribus, & opinionibus erroneis universali Ecclesiæ contrariis. Sed

Quæritur II. Num etiam censetur Hæreticus formalis, qui positive dubitat de Fide, vel aliquo illius Articulo sufficienter sibi proposito, pertinaciter asserendo, vel iudicando, non esse omninò certum, vel esse dubium, an sit certus, vel verus talis Articulus Fidei? Resp. Affirmative, D. Thomas 2. 2. q. 10. a. 5. & q. 11. art. 1. Abbas in c. 1. h. t. num. 1. Pirhing b. t. num. 4. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 7. num. 12. Sylvester & Hæresis. 1. q. 3. cum communi aliorum. arg. c. 1. h. t. ibi: Dubius in Fide infidelis est. c. 1. de Summa Trinitat. & Clem. 1. §. Porro eod. junctò Symbolo S. Athanasii, ibi: Nisi fideliter, firmiterque credideris, salvus esse non poteris. Ratio principalis est; quia inter alios Articulos Fidei, unus, & quidem principalis est, veram Ecclesiam in cunctis Dogmatibus Fidei esse infallibilem & certam; qui autem etiam de uno dantur dubitat, jam hoc ipso non credit, eam esse infallibilem & certam; consequenter Hæreticus est. Accedit, quòd dubitans de Fide, Fidem destruat, cum Fides in homine fidelis firmitatem in credendo supponat. c. 1. de Summa Trinitat.

Dicitur autem notanter De Articulo sibi sufficienter proposito; ex hujus enim defectu formales Hæretici non sunt, qui inter Hæreticos nati & educati, de uno, vel pluribus Articulis dubitant, donec sufficienter instruantur; quia deest pertinacia, uti cum Laymano, & aliis jam diximus in Theologia nostra Morali, Tr. 4. dist. 4. q. 2. num. 21.

Quæritur III. Quotplex sit? seu quomodo dividatur Hæresis? Resp. Hæresin primò dividi in Materialem, & Formalem. Materialis est (quæ tamen inter veras hæreses numeranda non est juxta textum can. Dixit Apostolus. cau. 24. q. 3. allegatum supra num. 7.) quando quis non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debite informationis, vel ex positive sinistra informatione errat circa fidem.

Tales Hæretici Materiales iterum plurimi sunt in vulgo hæreticorum, præsertim talium, qui inter Catholicos non vivunt; hi enim cum verâ, & sufficienti informatione destituti simpliciter credant ea, quæ à parentibus, vel prædicantibus suis pro fidei Articulis audiunt, voluntarium errorem intellectus cum pertinacia non habent, consequenter Hæretici non sunt. Imò Hæretici formales non sunt, etsi sciant eorum fidem, & opinionem in plurimis adversari Ecclesiæ Romanæ Catholice, casu quo ex simplicitate, aut defectu sufficientis informationis ignorant, aut non credunt eam esse veram Ecclesiam, sed ex mala, mendaciâ, & falsa informatione potius putant, & credunt, eam esse falsam Ecclesiam; econtra suam Religionem & Ecclesiam esse veram, prout apud plurimos in dicto vulgo res se habet, prout ex Matrio & aliis